

Bibliothèque numérique


medic@

**David, Jean-Pierre - candidat / Louis,
Antoine - président. - De sectione
caesare**

1764.


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***


Cote : ms 2343, n°5



CLARISSIMO ET NOBILI VIRO
DD. GERMANO PICHAUT
DE LA MARTINIERE,
REGII SANCTI MICHAELIS ORDINIS
EQUITI TORQUATO,
CONSILIARIO REGIS AC CHIRURGO PRIMARIO,
ACADEMIÆ REGIÆ CHIRURGICÆ PRÆSIDE PERPETUO, &c. &c.


E





CLARISSIMO ET NOBILI VIRO
 DD. GERMANO PICHAU
 DE LA MARTINIERE,
 REGII SANCTI MICHAELIS ORDINIS
 EGUITI TORQUATO,
 CONSILIARIO REGIS AC CHIRURGO PRIMARIO,
 ACADEMIE REGIE CHIRURGICAE PRÆSIDI PERPETUO, &c. &c.

E





*Ant. LOUIS Secrétaire perpétuel de l'Académie Royale de
Chirurgie, Professeur et Censeur Royal, Chirurgien consultant des
Armées du Roy, de la Société R.^{le} des Sciences de Montpellier &c.
Inspecteur des Hôpitaux Militaires et de Charité du Royaume,
Docteur en Droit de la Faculté de Paris, Avocat en Parlement.*

Dessiné par J. B. Le Moyne

Gravé par J. C. Moreau en 1765



D E
SECTIONE CÆSAREA.
THESES
ANATOMICO - CHIRURGICÆ.



ONCEPTIONE initâ, in dies aucta gravatur mater; novem emersa tandem mensibus sobolem modò in lucem edere gloriatur: sed hîc opus, hîc graviora manent. Natura sibi mentita inextricabiles intexuit exitus, non frangendis sepiuit se repagulis, undè manca fit obstetricum industria: tunc matris dolores, & mortis non incertæ metus, certum artis auxilium sectionem efflagitant Cæsaream.

Hæc est operatio quæ circa intimiores vitæ ineuntis aditus solertiam exercet, parturientis inter & cruciatus, & mutua partûs pericula salutis indagatrix assidens; sobolem enim ignaram intentatæ lucis, undequaquè suffusam mortis caligine, excutit primos soles invisuram Chirurgus arbiter. Naturæ

A

laboranti quæ expedire se non potis est, sectio feliciora promittens occurrit, & stirpem & ramulum, ramulos-ve reipublicæ spem & tutamina assumit, profert & servat.

I.

DE Partibus instrumento dividendis, operationis possibilitate, ejusque necessitate plura veniunt exponenda, antequam celebrandæ Cæsareæ sectionis perpendatur modus.

CUTEM, textum adiposum, abdominales musculos, peritonæum, uterum, fœtusque membranas, ad hanc operationem instituendam dividi compertum est.

CUTIS, texturâ innenarrabili, animale vestiens corpus, est unius tantum ordinis fibrarum diversimodè dispositarum plexus, omnis generis irroratur vasis, & innumeris est pertusa foraminulis; quam maximæ extensionis capax ad pristinum elasticitatem propriâ restituitur statum. Tanta inest fibrillarum nervearum copia, ut exquisitissimo donetur sensu, sitque tactûs organum.

TEXTUS cellularis, membranaceus, circumfusus undiquè, innumeras mirè efformat cellulas inter se invicem communicantes: in illis ex sanguine secreta pinguedo, modò rarior, modò copiosior evadit, densitatemque sortitur majorem minorem-ve, pro partium quas ambit naturâ & usu.

MUSCULI, speciali modo, abdominis cavitatem circumstant & perficiunt: in utroque latere quinque, quorum directiones, figuræ, nominaque neminem Chirurgum latent.

PERITONÆUM, membrana tenuis ac pellucida, musculis subjacens, unicâ conflatur laminâ, cujus facies alia cellulosa, plures extra abdomen dimittit processus; alia valdè lubrica, perpolitaeque occurrit. Abdominis cavum internè circumdat peritonæum, & omnibus ferè contentis visceribus involucrum præbens hæc fovet & intègit.

UTERUS, vesicam inter & rectum, tanquam inter duo pulvinaria, situs, cavum est viscus, pyrî depressi magnitudine & formâ donatum.

PARS amplior retrorsum conspicua *Fundus*, strictior verò & anterior *Cervix* nuncupatur: triangulum æmulatur uteri cavitatis; in rugoso canali cervicem efficiente coit angulus anterior; posteriores à lateribus prominent anguli, uterique cornubus præbent ortum. Cervix in orificium oblongum, transversumque desinit, & in vaginâ eam circumcingente insignem

prominentiam *os Tincæ* dictam efformat. Talis est persistans in virginibus, dispar in gravidis: sub finem enim graviditatis in unam abeunt ambæ cavitates.

MUSCULOSA matricis substantia, copiosissimis referta vasis, fibrarum carnearum mirando componitur ordine: extus membranâ robustâ à peritonæo, intus membranâ nerveo-porosâ cingitur. Cum vesicâ supernè, infernè cum recto laxiùs est vincta matrix, ligamenti latis, & teretibus, utrinque cum osse ileo, inguinibus, partibusque vicinis firmiter cohæret, ne à situ facile discedere queat.

SANGUIFERIS, lymphaticis, nerveisque vasis alluitur matrix, ex aortâ, ex hypogastricis, hemorrhoidalibusque prodeunt arteriæ, plexus anastomosesque inter se, mirum in modum conficientes: venæ eadem ac arteriæ adipiscuntur nomina. Lymphaticorum minimè noscuntur progressus & origo.

SACRI, intercostalesque nervi hypogastricum efformantes plexum, per plures impertiuntur utero ramulos, intra visceris substantiam ita intricatos, ut maximâ irritabilitate, (quæ contractionis aculeus est) potiatur matrix.

MEMBRANÆ fœtum involventes, chorion dicuntur & amnios. Prior crassa, spongiosa, vasisque copiosissimis instructa, in varias dividua lamellas. Posterior tenuior, in quâ perpauca reperiuntur vasa. Allantoïdes membrana, à quibusdā prædicata, in homine non detegitur.

I I.

MARIS semen, uberrimum propagationis rorem, copulationis tempore, allicit matrix: recepto semine, conceptione que peractâ ritè clauditur orificium; germen utero innatans, vasculis à se pendentibus, cum appendicibus vasculosis ab hujusce visceris fundo prodeuntibus coalescit. Uteri vasorum ope, reciproca à matre ad fœtum instituitur circulatio: explicatur proles, illiusque incremento undequaque pandit sese ac extenditur uterus; ampliatisque arteriis, majori sanguinis irroratur influxu, copiosior in uterum affluit transpiratio, undè saluberrimæ fœtum fovētes, quandoque nutriendes aquæ. Sic incarceratus nutritur fœtus & augetur, donec ipsius partes sint satis explicitæ ac validæ, ut, loco, nutritione, circulationeque subito mutantibus non pereat, & tantum vitæ limina

A ij

salutet. His, pro constanti naturæ voto, peractis, mense nono abeunte, aut ineunte decimo, ad contractionem irritabilitate propriâ stimulara matrix, summis viribus agit in infantem; undique comprimitur ipse, uteri expanditur orificium, membranis ruptis, effluxisque aquis lubricatur meatus; & matricis energiâ, faventibus musculis, adauctâ, foras, nullâ adhibita arte, projicitur infans. Naturalis, felixque tunc dicitur partus; sed (proh dolor) quam sapissimè delusa, obstaculisque impar, ad scopum attingere nequit natura.

U t inventa quæ sub felicioribus auspiciis nacta orbem bearunt, sic sectionis Cæsareæ origo densâ involvitur caligine. Qui primus ferro, & manu feliciter audaci, moribundam abscindere non dubitavit; quæ prior, generosiùs adhuc, pro charæ sobolis salute ilia tradidit lanianda, herocæs ambo pii. In matre tantùm emortuâ hanc celebratam fuisse operationem ex priscis constat Historiis (1). Sic in lucem editum fuisse Æsculapium fertur; & si Virgilio fides, ab Eneæ temporibus fuerat instituta (2). Apud Romanos sublimiora promittit servatque capita; hujus ope Africanus erupit Scipio (3) Carthaginis victor; hæc quoque nascentem cruentavit manlium. Aurelia, caeso ventre, maximum edidit virorum imò & superstes illum educavit (4). Absit ut Plebeias domos dedignata fuerit; ad illius miracula perscèpè stupere debuit amica plebs. Sed Gallorum ardua mens, inauditaque in celebrandâ super matre vivâ hâc-ce operatione dexteritas, in fastis Historiæ, aureis litteris obsignatæ, ad memores ibunt nepotes: expertis credet successibus, magistræque necessitati edocta posteritas.

I I I.

CHIRURGUS imperterritam manum adhibeat, cum faustus favere promittit eventus, cum ægrotantem certa miatatur mors, & immani in parturientem grassatur scævitiâ: ineluctabile periculum arcet tempestiva uteri Sectio. Illi attamen

(1) Ex utero matris interemptæ ab Apolline patre Sectionis ope extracti. vid. Ovid. lib. II. Metamorph.

(2) Et inde ferit Licam ex-sectum jam matre perempta: Virg. Æneidos, lib. X.

(3) Vid. Plin. Hist. Natur. lib. VIII. capite IX.

(4) Servius, Cedrenus, Malala, Glicas, Suidas, &c. qui Cæsarem per matris sectionem editum fuisse perhibent.

(miramur dolentes) aduersati fuere viri emunctæ naris, & eruditi, qui laureatas illius extollere debebant fortunas, & qui asserere non dubitarunt, in ipsomet vitæ sanctuario, fœtum infontem, salvâ matre, fore maclandum, omisâ operatione quæ utrumque sospitare poterat incolumem. In hac artis præstantissimâ parte, caligant viri etiam qui, longo cognitionum usu Chirurgiam collustrarunt, illiusque fines latissimè protulerunt. Sagacissimus Paræus noster (1) qui, super matre non defunctâ, feliciter illam posse tentari non arbitratur; *Marchant*. (2) Qui de sectione Cæsareâ, & *Rouffet* (3) illius acerrimo Patrono Bile difficili declamitat; insurgunt *Guillemeau* (4), *Mauriceau* (5), *Sollingenius* (6), & *Rolfincius* (7) Congressi, *Saviard* (8) qui, inter scopulos, amicum hunc temnit portum; sed ex affeclis, quot & quanti! *Rouffet* & *Bauhin* (9), *Sennert* (10), *Fienius* (11), *Scultet* (12), *Hildanus* (13), *Scipio Mercuri* (14), *Roonhuysen* (15), *Ruleau* (16), *Lankrischius* (17), *Jobertus* (18), *la Motte* (19), *Teichmeier* (20), & alii qui Cæsareæ Sectionis, salvâ matre faustos eventus, uno ore testantur. Undique Chirurgos qui adhibuere operationem in proprias conjuges ostentare licet, *Olaum Rudbekium* (21); & audentiozem *Son-*

(1) *Traité de la Génération*, ch. 38.

(2) In *Francisci Rossii Apologiam*, Jacobi *Marchant* Regis & Paris. Chirurgi declamatio.

(3) *Dialogus Apologet.* pro partu Cæsareo, &c.

(4) *Traité des Accouchemens*, Chap. de l'Opération Césarienne.

(5) Lib. II. de l'Art des Accouchemens; chap. XXXII.

(6) *Observ. Anat.* lib. I. cap. XIII. pag. 182.

(7) *Operat. Chirurg.* capite de Sect. Cæsareâ.

(8) Vide quid de *Saviard* alloquitur *Heisterus* cap. de partu Cæsar: versus finem, pag. 776, *Inst. Chirurg.*

(9) Lib. de partu Cæsareo.

(10) In *Inst. Medicis & Praxo Med.*

(11) In libris *Chirurgicis*.

(12) *Armament. Chirurg.* Tab. de Partu Cæsareo.

(13) *Epist.* de herniâ uterinâ.

(14) Lib. de arte obstetricandi, cap. de partu Cæsareo.

(15) Lib. II. *Observ. Chirurg.* de morbis mulierum.

(16) *Traité de l'Opérat. Césarienne*.

(17) Vide act. erud. Lipsiæ anno 1698, pag. 229.

(18) *Le Journal des Sçavans*, Paris année 1692 & 1693.

(19) De arte obstetricandi, lib. IV. & cap. XII.

(20) In *Inst. Méd. Forensis*, pag. 18.

(21) Vid. *Colloq. Menstrua tenzelii*, anno 1693, pag. 1636.

nium (1) Brugenſem Medicum qui ſepties teneræ conjugis ſinum ſalutari ſcalpro aperit & ſervat : & ſi deeffent auctoritates, vocem extollerent in noſtrâ Galliâ & matres & nati, qui vitales auras divinæ huic Chirurgiæ Memores referunt (2) Vivet in actis Academiæ Reg. Chir. Pariſ. & poſteris tradetur Hiſtoria Mulieris *Deſmoulins* (3) cui & cæſoni tutatis opem ſalutiferam appoſitè dedit prædicta operatio.

ERGO nota inconcuſſaque manebit, & ſuper animatâ inſtituetur muliere ſectio Cæſarea; periculofa ſanè, ſed quæ creatorem æmulans (nec impium quid alloquor) oriri ſæcula generatim jubet. Chirurgus æs & robur circa pectus ſit triplex : non horreſcat trepida manus; nec cruor, nec injuſtè impatientis naturæ ejulatus, Chirurgum propoſiti tenacem, mente quatiant ſolidâ : ſtet immotus, impaviduſque pietatis miniſter. In abſcondito inchoavit natura hominem, etiam nondum natis ars neceſſaria illum promiſſam edit in lucem; peritiores igitur, non reſpuent operationem quam ſuadent humanitas & religio.

I V.

CASUS, in quibus neceſſaria deſideratur ſectio Cæſarea ſtatuendi, ne quis ignarus naturæ viarum, artiſque rationum, ad operandum præceps temerariuſque ſeſe ferat.

MATRIS gravidæ interitus, prava oſſium pelvis conformatio, majores ſchirroſi tumores verſus uteri oriſcium, in abdomen diſruptâ matrice prolis lapſus, ſectionem invocant. In ovariis, aut in ventre edicie conceptibus, uteri herniâ, exoſtoſibus nimis in oſſibus pelvis; hiſce pariter caſibus operationem neceſſariò adhibendam eſſe opinantur autores. A parte enim fœtus nulli dantur caſus ſectionem expoſcentes Cæſaream.

MOX fato functæ mulieris gravidæ incidatur uterus, ne vix languidulam tali in fomite vitam trahens, ante ortum moriatur proles.

QUOTIES oſſa pravè conformantur, toties explorentur repetito tactu, quantum ſint difficiles viæ, arctæque anguſtiarum fauces : etſi deformes rachitide afflicte, & præter ſolitum exiguæ mulieres, inevitabili ſubjici videantur ſectioni, occur-

(1) Vid. Roonhuiſen, lib. Obſerv. de morbis mulierum, cap. I.

(2) *Mém. de l'Acad. de Chirurg. tom. I. Recherches ſur l'opération Céſarienne par M. Simon.*

(3) Idem in act. Acad. Reg. Chir.

runt per plures in quibus sat patet pelvis meatus, pro partu solvendo, invitâ ossium sic peccante structurâ. Tunc solum pravâ parturientis conformatione liminibus hæret infans, cum augustiori perstringuntur compage, pubis, os sacrum, ischio-rumque tuberositates; hîc perfugium præstò adest operatio, ut parvulus incolumis fiat & mater. Sic malè à naturâ comparatæ *Saviard* succurrebat mulieri inedito partu emortuæ; (1) sic contractam habebat pelvim fœmina cui *Mauriceau*, (2) propter nimiam ossium vicinitatem, nec potuit intromittere manum nec instrumenta. Hinc quatuor, (referre possem) sibi mactavit victimas falsus sectionis terror. Matres sæpius mortem & exitialia obeunt discrimina, dum putredine consumitur fœtus, & dum iidem, de quibus supra, resistunt obices, hæc etenim methodus periculo plena, cui potior & anteponenda æstimatur Cæsarea sectio.

MINORES schirrosi tumores, parvæque orificii matricis callositates sæpè sæpius partui non obstant; invincibiles, majoresque instrumento radicitus (quoad fieri poterit,) evellantur, (3) sin autem, mater & fœtus operatione è mortis faucibus eripiantur.

INFANTI, disruptâ matrice, in abdomen prolapso, dum parturiens torquetur doloribus, auxilietur operatio; sed si pars tantum, hac matricis disruptione fuerit delapsa, immittique possit in uterum manus, molliter eliciantur membra, donec foras eximatur infans: hæc monent, *la Motte* (4), *Albinus* (5), *Rungius* (6), *Heister* (7), &c.

CUM in ovariis conceptus fuit fœtus, vel in tubâ, & sic à matrice remotus vivit (quem casum expiscari sedulò operæ pretium est) tunc sola super-est operatio. Si inter parturientis

(1) Observ. CXIV.

(2) Observ. XXVII.

(3) D. Ferrand primarii Regis Chirurgi Calidobeco legatus, intra partûs dolores, maximum scalpri ope, abstulit schirrosum tumorem versûs uteri orificium. Nulla subsequuta fuisse accidentia, & felicior evasit partus. Hæc mihi tradita est colendissimi patris Observatio à D. Ferrand hujusce Collegii Magistro.

(4) Lib. IV. capite V. Observ. 312.

(5) Dissertatio de partu difficilli.

(6) Observ. 313.

(7) Inst. Chir. de partu Cæsareo. Similes casus legi possunt in *Hildani*, Observ. cent. I. Observ. 64. 67. cent. IV. Obs. 57. *Mauricæi* Obs. 251. *Barthol.* de insolitis partus viis pag. 74.

labores, patulum sese non præbeat matricis orificium, si nullatenus fuerit retractum, & reverà promineat in vaginâ velut antè graviditatem, si non effluant aquæ, si altius solito prægnans fœtum gestat, aut illum hinc indè fluctuare præsentit; denique, si exterius explorata pueruli membra, uteri cavum prætergredi videantur, tunc instituenda venit operatio; attamen si fœtu in ventre emortuo, mater benè se habuerit, sola sibi provideat natura.

Cum adherente matricis herniâ laborat mulier prægnans, & ibi conceptus, maturusque subcreverit fœtus, in hoc velut in præcedenti casu necessum est incidi uterum.

CASIBUS recensitis in quibus ad sectionem Cæsaream, tanquam ad anchoram salutis confugiendum, Operationis methodus exponenda.

V.

APPARATU & instrumentis, extra gravidæ conspectum ritè dispositis; emissâque prius urinâ, operationi manum mox admovebit Chirurgus, plerumquè enim periculum est in morâ. In lecto, supinâ muliere, hominibusque firmatâ robustis, ut immota jaceat, ad ægræ latus quam maximè sibi congruum perstans operator, cutem abdominalesque ferro pervadet musculos, umbilicum infrâ, & ab externo recti musculi latere, secundumque illius directionem novem circiter pollicum haud penetrans instituetur divisio, versus tantum inferiorem vulneris angulum, in peritonæum uterumque, quam cautissimè, scalpellum affiget Chirurgus. Digitorum vulnere immissorum ope, scalpro divisio dividendis, prudenter, celeriterque sectionem sursum perficiet. Proles & placenta avellantur illic, ne contractione, ut ita dicam, subitâ, uteri coarctetur divisio: contra peritonæum utero antrorsum & supernè ad umbilicum premente, minimè foràs prorumpent intestina; nec morabuntur Chirurgum, nec lædentur ipsa. Jam dudum à Clarissimo D. Louis actûs præside & D. Levret obstetrice peritissimo excogitata fuerat, hæc intacta, secuta, promptaque methodus: adhibenda tantum quoties in utero adest fœtus! si fortè, quod rariùs occurrit, in ovario aut in tuba, signis prædictis, infantem extare persentiscit Chirurgus, tegumentis & peritonæo incisis, ne offendantur intestina, adjuvantis contineantur manu; tunc fœtum involvens incidetur sacculus, & mox elicientur proles & secundinæ; si in abdomen, ruptâ matrice, fuerit prolapsus infans, ut extrahatur, sat ampla, penetransque tantum in abdomen instituatur divisio.

INFANS

INFANS eductus, frictionibus, calore, & spirituosis confortetur. Cum spongiâ, aquâ & vino calidis imbutâ, mundandum vulnus, spleniis planè adhibitis per unientem parti accommodatam fasciationem coadunabuntur vulneris ora. Estote procul futuræ apud peritissimos jam pridem obsoletæ magistros: quantum sint crudeles, inutiles nocivæque, quanta ex illis accidentium oriatur series demonstrat Clarissimus D. Pibrac, Acad. Reg. Chir. Par. Director, in act. Acad. tom. III.

QUODAD fieri poterit coadunetur vulnus, si à matricis orificio lochiis datur via: si non, turunda mollis inferiori vulneris angulo immissa facilem evacuationi solitæ præbeat exitum. In vulneris latere recumbet mulier, ut foveatur puris humorumque effluxus; præsentia arceantur, futura præcaveantur accidentia diluentibus, emollientibus, diætâ, & quandoque sanguinis missione si urgeant inflammatio & febris; metu, terroribusque prognosi sublevata, infantis aspectu ad vitam alliciatur parens. Ingurgitatis lacte uberibus, vitali rore sibimet ipsi parato satiatur infantulus. Omnibus denique matri proliquo congruis consulat Chirurgus: hæc sunt naturæ, pietatis, artisque vota.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. ANTONIO LOUIS, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore Regio, Collegii antiquo Præposito, Academiæ Regiæ Consiliario & excerptorum Secretario, Regio Librorum Censore, antiquo Nosocomii Charitatis Chirurgo Primario, in Exercitiis Regiis à Consiliis Chirurgicis, Academiarum Scientiar. Humanior. Litterar. & Artium Lugdun. Rothomag. & Metensis Socio, è Societate Regiâ Scientiarum Gottingensi & Imperiali Apathistarum Florentinâ, Academiæ Botanices Florentinæ Collegâ Honorario, & in saluberrimâ Facultate Medicinæ Halæ-Magdeburgicâ Chirurgiæ Doctore, tueri conabitur, JOANNES-PETRUS DAVID, Gesiensis, Artium Liberalium in almâ universitate Parisiensi Magister, Theses Autor.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGICIS SCHOLIS;
Die Sabbati 24^a. Novembris, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam, Anno R. S. H. 1764.
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

